
PHILIPPI RONDININI J.U.D. ... ORATIO DE LAUDIBUS S. PII 5. HABITA IN AEDE...

Filippo Rondinini





PHILIPPI RONDININI
J. U. D.
Cathedralis Ecclesiæ Faventinæ
CANONICI THEOLOGI

ORATIO
DE LAUDIBUS

S. PII V.

Habita in Aede Sancti Andreæ,

Quum eidem a Sanctissimo D. N.

CLEMENTE XI.

PONTIFICE MAXIMO

In Sanctorum Albo nuper descripto

P. P. ORDINIS PRÆDICATORUM

FAVENTIÆ

Sollemniter plauderent.

FAVENTIÆ, MDCCXII.
Excudebant Archi, & Zanoni.
Approbatione, & permissu.



Reverendissimo Patri

F. ANTONINO CLOCHE

TOTIUS PRÆDICATORUM ORDINIS

GENERALI MAGISTRO.

PHILIPPUS RONDININUS CANONICUS FAVENTINUS.



Uum nuperis diebus orationem hanc de SANCTI PII QUINTI *laudibus tumultuario confecerim, quam in Æde Sancti Andreæ a me habitam evulgare statui, eam tuo nomini inscribendam duxi,* REVERENDISSIME PATER, *qui clarissimi tui Ordinis amplitudini atque ornamento vehementer incumbis. Tibi enim erant sanctissimi hujus Principis nuncupandæ laudes, cui divinis honoribus augendo strenuam adeo navasti operam, & vires omnes adhibuisti. Muneri quidem suo novissime fecerunt satis nobilissimi hujus Cœnobii Fratres, ut divini Hominis memoriam, quo-*

ad fieri potuit, cultu magnifico celebrarent: quod sane consilium mirifice confirmavit splendida liberalitas, & diligentia viri probatissimi, atque integerrimi Magistri Fr. Vincentii Thomæ Fracchiæ, qui Prioris, ut vocant, fungitur ministerio. Ædem Ordinis peramplam conquisita undique venustissima supellectile affabre instructam, singulari opificio adamussim ornatam, & omni ex parte majestate fulgentem Civitas tota suspexit. Prætereo disertissimos oratores, musici, & harmonici concentus nobilitatem, quæ singula apud omnes admirationi fuerunt, & voluptati. Verum honorifico sollemnitatis exordio id maxime accessit, quod ab Æde Cathedrali, Cleri utriusque procedente cœtu, venerabili nostræ hujus Ecclesiæ stipante Capitulo, atque inclyto Urbis Magistratu, sanctissimi Pontificis in triumphi specimen delata imagine, ad Templum Ordinis publica supplicatione omnes gratulabundi convenerunt. Nec mirandum videtur adeo festivum universæ Civitatis gaudium, quæ optimum Principem bene de se meritum gloriatur: quum nimirum ad Catholicæ fidei columen & præsidium sacræ Inquisitionis Sedem, quæ toti propemodum Æmiliæ dominatur, pinguiori attributo censu, eidem, atque Ordini tuo adjudicaverit. Itaque, ut ceteri, ingentis admodum lætitiæ caussa commotus, tenuem hanc orationem utcunque exaravi, quam amicorum plerique in hoc communi Faventini populi plausu coram dicere compulerunt: eamque insuper eo consilio in tuo nomine typis edere volui, ut publicam meæ erga te, atque Ordinem tuum observantiæ significationem aliquando exhiberem; quod jampridem in votis habui, postquam probos homines diu in Urbe præsens audivi, qui passim de te magna loquebantur, deque tuis virtutibus mirum in modum perquam honorifice prædicabant: propterea dabis veniam, PATER SAPIENTISSIME, si tibi viro longe doctissimo exilem ingenii mei fœtum, impolitam hanc & mutilam laudationem de divino Pontifice inscripserim; id unum vero humanitati tuæ tribuendum erit, quod etiam atque etiam rogo, si gratum fore tibi hoc officii mei argumentum intelligam. Vale; & te Deus quamdiutissime sospitet.

Dabam Faventiæ sexto Kalendas Decembris, Anno MDCCXII

ORA-



ORATIO.

ARduum profectò, & longe impar viribus opus aggredior, Auditores, quum de sanctissimi, & maximi Pontificis PII QUINTI laudibus disserendi summum argumentum intelligam: tanta enim est rerum copia, & magnitudo, ut me summopere in metum adducat, ac dicere incipientem deterreat: atque circumscripti adeo sunt ad dicendum fines, ut nedum ego omnium infantissimus, verum etiam quisque disertissimus orator vehementer animo frangeretur. At quia suscepti muneris postulat ratio quoquo modo de Pontifice sanctissimo, de Homine plane admirabili & divino palam edicere, pauca quædam de illo tumultuaria laudatione complectar. Hodierna siquidem die Faventina Ecclesia in gaudium erumpit, Civitas lætatur universa, dum in hac Æde augustissima Principi optimo, Pontifici maximo in speciem trium-

 phi

phi sacra sollemnia celebrantur: de quo igitur quum mihi in præsentia sermonem habendi sit onus, haud facile dixerim, uter major de dignitate, an de homine dicendi labor exhibeatur. Utraque sane res tanta est, tam nobilis, & magnifica, ut vix ulla ingenii vi, ulla orationis copia possit commendari. Ego itaque (quum id satis perficere nequeam) utramque pro virili raptim commemorabo: de dignitate, de homine loquar; ita quod æque hominem dignitas, ac homo dignitatem meruisse videatur.

Novi plerumque nonnullos, quum aliquem laudibus ornare soleant, eas potissimum conquirere, & consectari, quæ alieni sunt juris, neque præstari possunt a nobis; nam patria, genus, parentes, quæque alia vel fortunæ, vel corporis sive bona, sive commoda sint, levia sunt, & caduca; unde licet uberrima nobis laudationis caussa proficiscatur, in iis immorari non patitur Viri præstantissimi solida virtus. Enimvero ab ipsa jam ineunte ætate egregia, mitiorique indole a bonorum omnium auctore donatus, virtutem vehementer colere, strenuam pietati navare operam, quæque hujus seculi inania sunt, aspernari, summa hominum admiratione consuevit. Hinc adolescentibus annis, etiam adolescente virtute, humanarum rerum pertæsus, cœlestia & divina complexus, perfectioris vitæ stadium ingredi alacri animo non dubitavit, atque in laudatissimo Prædicatorum Ordine sacræ militiæ nomen divino afflatus lumine dedit. Quod autem illi fuerit vitæ genus, aut quæ morum forma, quum inter religiosa septa concluderetur, omnes facile norunt, si innocentiam, humilitatem, obedientiam, paupertatem, ceterasque virtutes Viro sanctissimo familiares compellaverint; quas cum optimis literis, gravi doctrina, & mirabili prudentia conjunxit. Verum tamen omnibus antecellit Catholicæ Fidei singulare studium, quam ut ab immani hæresum lue sedulo vindicaret, quum in eas inquirendi publico officio fungeretur, potentum inimicitias, scelestorum hominum minas, & extrema capitis pericula subire non metuit; quæ sane omnia universa prope in Italia palam innotuerunt, cujus adhuc præclarissimæ Urbes

bes

bes Viro integerrimo referunt populos a teterrima illa contagione purgatos. Interea ut latior ejus virtutum pateret campus, quæ Orthodoxæ Religionis incremento prospicere consueverant, a Paulo IV. acerrimi judicii Pontifice, cui acceptissimus fuit, Nepesinæ Sedi ac Sutrinæ Præsul invitus præficitur, necnon ob ejus erga Christianam Rempublicam præclara merita in sacrum Cardinalium Ordinem cooptatur, ac supremi Inquisitoris muneri admovetur. Optime noverat Antistes sanctissimus quæ deceant Cardinalem, cujus partes quam graves & laboriosæ, quamque honorificæ & splendidæ sint: ubi enim Sacerdotio est ornatus amplissimo, non ille mentem cum fortuna mutavit, sed eamdem vitæ rationem, quam adhuc in Cœnobio, retinuit; & contempta prorsus rerum humanarum specie, de colenda impensius virtute, de tuenda Pontificii juris majestate, de augenda inter homines divina gloria strenue cogitavit. Nemo fuit qui non miraretur in præstantissimo Cardinali eximiam animi lenitatem, vultus modestiam auctoritate temperatam, sermonis gravitatem Apostolica libertate compositam, & quidquid homines ad reverentiam trahit, & ad obsequium. Nihil obscure de ejus virtutibus Orbis loquebatur, quem præcipue colebant omnes ob doctrinam, multi ob integritatem imitabantur, amabant ceteri ob humanitatem, maximeque ob rectam & simplicem naturam ab omni fuco, omnique fastu longissime alienam. At quæ hactenus de Homine sanctissimo incomposita laudatione disserui, nonne illum Summo Sacerdotio dignissimum uberrime contestantur? quum non humanis oporteat, & vulgaribus, sed splendidis atque divinis virtutibus præditum esse Pontificem. His igitur, atque aliis laudabiliter gestis longe lateque Cardinalis Alexandrini virtutum fama diffunditur; & apud universam Urbem, omnesque bonos, necnon apud ipsum Cardinalium Ordinem adeo percrebuit, ut Pio Quarto humanis curis exempto, incredibili Patrum consensu, atque admirabili divinæ Providentiæ consilio Pontifex inauguratus, Catholicæ Ecclesiæ administrationem iniverit. Opportuno siquidem remedio Ec-

clesiæ suæ consuluit Deus, quum Hominem hunc divinum & plane maximum in gravi illa rerum perturbatione, quibus Catholicus Orbis premebatur, Pontificem dederit, qui pari fortitudine, ac prudentia, necnon pastorali, qua enixe fervebat, sollicitudine Christianam Rempublicam administraret, eamque ab impendenti calamitatum periculo eriperet. Hinc dolebat collapsam veterem Ecclesiasticam disciplinam, vitiatos populorum mores, & judiciorum integritatem indigne labefactatam: at repente eo, quo pollebat animi robore, disciplinam revocatam, emendatos mores, & judicia pristinæ justitiæ restituta Urbs Roma suspexit. Illinc querebatur Galliarum regnum Europæ florentissimum intestinis bellorum æstuare tumultibus, atque urgente hæreticorum improbitate, infanda pravorum hominum colluvione deformatum civilibus ardere discordiis: atque animo vehementius angebatur Turcarum audire Tyrannum perpetuum Catholici nominis hostem insaniori audacia furentem, & victricibus armis elatum Christianæ Reipublicæ flammam ferrumque terra marique minitantem. Itaque quid erit consilii in hac tristi ac luctuosa rerum perditarum imagine? Familiarem sibi invicti animi magnitudinem prudentissimus Pontifex in subsidium vocat, & ope divina precibus implorata, cœlesti lumine collustratus, in Galliam auxiliares copias strenuo duci Sedis Apostolicæ stipendio traducendas demandavit, quarum præsidio Rex Carolus insignem contra perduelles victoriam obtinuit. Mox ut Turcarum impetus coerceret, memorando illo cum Rege Catholico, & Veneta Republica inito fœdere, ingentem classem instruxit, quæ magno adversus Turcas habito conflictu, præclara adeo, & prope incredibili apud Leucadem potita est victoria, ut æviternam ejus memoriam nulla unquam apud posteros delere possit oblivio. O Virum Catholicæ Religionis vindicem acerrimum! O Pontificem immortalitate dignissimum! Singulare hoc beneficium, ut terribili hoste profligato, rei Christianæ steterit salus, Tibi referendum, Pontifex sanctissime, universus Orbis agnovit: in id unum tuæ lacrymæ conspirabant,

bant,

bant, tuæ preces, & fervida vota. Nondum vero cetera in Romanam Ecclesiam ab optimo Principe derivata beneficia commemoravi, neque id ego facile posse video, quum omnia divini Pontificis inclyta gesta nedum exæquare dicendo, sed assequi cogitando non valeam; quam ob rem plura, & quidem maxima præterire temporis angustia compellor. Prætereo clarissimam legationem ad potentissimos Europæ Reges eo judicio, ut eorum simul collatæ vires in conterendis Catholicæ Fidei hostibus exercerentur. Prætereo quo pectore Angliam pestifera hæresi inquinatam proscripserit, & iniquam ejus reginam anathemate perculsam damnaverit. Quæ sane omnia, & quæ cetera dicenda prætereo nemo vestrum non videt, Auditores, uti Romana Ecclesia meruerit divinum hunc Hominem, qui turbulentissimo illo seculo Sedi Apostolicæ Pontifex præficeretur; immo quantum illa egregii hujus Principis sanctimonia, vigilantia, fortitudine, & prudentia mirabiliter indigeret, quo nimirum humani generis utilitati consuleretur. Verum quia tot virtutibus cumulatum Pontificem diutius Orbis non merebatur, e mortalibus raptus in cœlum, ibi in sua sede locatus inter beatorum Spirituum choros ævo fruitur sempiterno. At vero licet beata Cœlitum gaudeat statione, mortalium hominum curas tueri, & humanis rebus subsidium præstare, ubicumque imploratus, non intermisit: id enim plures diuturnis ac lethalibus affecti morbis in valetudinem restituti, alii, quos immundi spiritus vexaverunt, incolumitate donati, ceteri ab incendiis, casibus, & ærumnis exempti satis superque testificantur. Dabis interim veniam, Pontifex sanctissime, si mutila & incompta oratione, nec satis pro dignitate de tuis laudibus disseruerim. Devotam hanc Urbem, quam ornasti vivens perenni monumento, e summo Cœlo intuere, nosque ab omni malorum casu, quibus indigne labentes affligimur, defendere ne graveris. Respice Apostolicam Sedem, Romanam Urbem inclytum Fidei domicilium, ibique Pastorem maximum, qui Te divinis honoribus cumulavit: inde age tuis precibus, ut Rei-

publi-

publicæ bono, & ſeculi hujus felicitati, atquè ornamento longævam, ac ſoſpitem vitam ducat, & univerſi Orbis tranquilla pace lætetur.

LAUS DEO



